

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 51. (*Neovidensis* 1806. Nro. 44.)

*Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functorum.*

Elysiis, -- Meum. -- Die Veneris 13. Junii 1806 (Neov. 30. Maji.)

Colloquentes umbræ:
Polybius, & Mustapha III.

Mustapha. Licetne, Magne Polybi! ad tua consilia, tuumque perspicax ingenium propius accedere? In votis mihi est causas interitus turcici imperii ex te scire. Vocor Mustapha III.

Polybius. Imperator turcarum? qui modo meæ patriæ barbarum in modum dominaatur? Compara vestram regni administrationem cum aliis Statibus, & causam tantæ ruinæ manibus palpabis.

Mustapha. Hoc est, quantum perspicio, declinare responsum. Eadem administratione Solimani, Mahometes, Cuproglii, alique turcici Heroes toti terrarum orbi terrorem iniecerunt, parumque abfuit, quin Europa victas Mahometi daret manus.

Polybius. Vera narras; verum tunc bella gerebantur solis manibus, solida brachia, &

furor erant præcipua bellatorum adminicula. Comissa tunc temporis sunt cruenta, & horrida prælia, hodie ad arma descenditur. Ars bellandi est gravissima scientiarum, quæ non nisi diligenti studio condisci potest. At vos Turcæ in scientiis, atque artibus inter omnes nationes postremum tenetis locum, barbariem nondum exuistis. Aliæ gentes conjungunt cum bello cognitionem rerum, vos immiti & inordinato utimini modo.

Mustapha. Quid, non ædificavimusne nos etiam propugnacula? non fudimusne tormenta? & quidem ferme eodem tempore, quo alii populi?

Polybius. Non me latet: sed qua ratione? Christianis tormenta 24. librarum globis emittendis apta adferentibus opposuistis talia, e quibus 100 librarum globi poterant solvi; vestræ turres in munimentis simillimæ erant magnis montibus. Apud vos ad perfectionem nihil est deductum.

Mustapha. Fixum erat Christianis excellere; parva tormenta judicabantur esse indigna magnitudine Osmannorum.

Polybius. Defectus scientiarum! Vestrum idiomia nec vocabula continet artis bellandi, Typographia, quæ ad communicationem idearum tantum contulit, apud vos est adhuc in cunis, scriptura non est expedita. Scite enim, ferventibus bellis, ex vero posse affirmari, conflictus fieri calamo, nam scriptura efficacissimum est medium ordinem servandi. Ars autem omnia ordinandi, ad motum ponendi,

suo tempore ad diversas positiones collocandi magnam machinam, quam exercitum appellamus, hæc inquam ars, omnium prima vobis peregrina est, & á populis, solummodo scientiis deditis, condisci potest. Vobis quidem probe notum est, Solimanos, Mahometes, & Cuprolgios eximios fuisse Duces, at hoc tantum traditione accepistis. Quomodo pugnaverint, qua collocatione aciei victoriam reportaverint, vobis non constat. Nemo vestrum expeditiones gloriosas horum Heroum litteris consignavit, nemo in aliquem codicem retulit; quapropter nemo potest ex eorum exemplo doctior evadere. At Christiani ex Biographiis Montecuculi, Turenii, Principis Eugenii, Vaubanii, Cæhornii, & aliorum verum bellorum cursum connotarunt.

Mustapha. Nunc ego capio progressus, quos Russia in Turcia fecit.

Polybius. Res hæc ante oculos posita est: Russia enim potissimum regnante Catharina II. in suam Metropolim evocavit ex aliis regionibus viros, omni genere scientiarum excellentissimos. Quamvis autem Russi tali rerum cognitione imbuti, vos Turcas prælio superare consveverint, quod in arte militari illis multo rudiores sitis; attamen modo etiam experti sumus, eos, si cum natione, majore scientia prædita, congregiantur, minus esse fortunatos.

Mustapha. O christiani! Christiani!

Polybius. Ex his manifestum est, bellum longe felicius geri a populo, in scientiis, &

artibus exercitato, quam a tali, qui in his rebus hospes est, & imperitus. Postrema ex gallica rerum conversione prognata bella id apertissime demonstrant. Ingentem semper habuit Gallia thesaurum virorum, qui se scientiis, atque artibus præ Germanis addixerunt; Plures illa in omni genere scientiarum, & præsertim in arte bellandi suppeditavit classicos authores, quam omnes cæteræ nationes.

Mustapha. Nos quoque in omnibus bellis gallicis usi sumus architectis.

Polybius. Perspectum habeo, sed singulares viri non possunt ex quolibet trunco formare mercurium. Vos turcæ arbitramini ita posse ad exercitum mitti scientias, veluti annonam, aut apparatus bellicum. Quamdiu successus belli pendebat a robustis lacertis, potuistis totum oppugnare orbem Christianum, jam vero Christiani scientias advocarunt in auxilium, qui undique obsident turciam Europæam, quæ obsidio facili negotio, forte paulo pot in veram convertetur oppugnationem. Gallicum Directorium lethiferam vobis infixit plagam, aggrediendo Ægyptum, hoc facto enim tristem detexit reliquis nationibus veritatem, vires vestras fractas fatiscere, vestramque ad speciem tantum formidolosam potentiam intra breve tempus posse funditus everti, & ipsam pestem, fidissimum imperii Ottomanici fœderatum, quem omnes Gentes hæcenus reformidabant, absque magna dimicatione posse superari. Cæcus Despotismus — —

Mustapha. Quid sibi vult hæc expressio?

Polybius. Ita, cæca, & ignava oppressio viget in Reipublicæ administratione, in Religione, & in qualibet re familiari. Ignota vobis est hæc quieta & assidua efficacia, quæ unius cujusque culti hominis præcipua dos esse debet. Vitam ducitis otiose incurii, ut mirandum sit, qui fieri possit, ut iidem homines, qui summam voluptatem ponunt in nihil agendo, tantopere abhorreant a quiete. In hunc modum describit Tacitus Germanos, qui tunc ita, ut vos, a cultu, & humanitate erant remoti. Vestra civilis justitia est rapacitas; vestra judicia criminalia mera continent supplicia. Reditus publici veniunt ex elocatione proventuum, supremum consilium licitationi est obnoxium, ipsum vestrum gubernium est forum publicum, in quo cupiditas lucri cum incertitudine, suum obtinendi, de palma contendunt, & in quo, uti de aulicis Galbensibus Tacitus narrat, certatim concurritur, quis nam sit antiquum imperium absorpturus: — *apud senem festinantes.*

Mustapha. Rogo te, Polybi! abumpe sermonem, vehementer me conturbat. In publicis ephemeridibus Londino 17. Maji allatis sequentem lego relationem: — Nocte hesternam diem præcedente Præfetus navis Mansel ex promontorio bonæ spei apportavit litteras, vi quarum gallica celox, *la Volontaire*, vexillo hollandico in propugnaculo, & navibus exposito in errorem inducta intravit portum dicti promontorii, & capta est. Navis hæc pertinebat ad classem, cui Hieronymus Bona-

parte, & Admiralis Villaumez præsunt, quæ ve paucis ante diebus, quam hæc celox in manus hostium devenisset, ante insulam S. Helenæ excubias agebat. Hæc adjuncta augent sollicitudinem circa hanc insulam, de qua jam dudum nulli certi adferuntur nuncii. Aggressionem quoque posse fieri in promontorium bonæ spei, nemo dubitat, qua de causa nihil ibi prætermittitur, quo vis hostium propulsari queat. Nostra potentia maritima constat ex duabus primæ magnitudinis 64. tormentorum navibus, ex Diomede 50 tormentorum, & duabus celocibus.

Epistola Officialis in navi Foudroyant scripta sequentia habet de Admirali Linois adjuncta: Iste Generalis tempore conflictus vulneratus fuit in femore, ejus navis Præfectus amisit dextrum brachium. Filius Admiralis viso saucio Patre, manibus texit vultum abditurus lachrymas, in hac positione constitutum debilis globus tetigit, excussitque eidem dentes priores. Linois utitur adhuc fulcris, Præfectus vero convaluit. Post discessum ex insula Francica ingressus erat promontorium bonæ spei, verum edocus de tentanda in hanc coloniam Anglorum invasione, elapsis duabus diebus petiit littora Africae, ubi occupatas duas Æthiopum naves misit in insulam Francicam. Rursum dein expandit vela versus promontorium, voluitque penes insulam S. Helenæ præternavigare, spe ductus naves ibi mercatorias deprehendendi. Verum mutavit iter, rescians ex navi Ameri-

cana.
subjec
versus
class
re sol
ropan
in cla

Achm
Ex qu
est, i
tur,
num
nulla
geren
occup
60 m
is M
xit R
est,
quan
regim

Chris
com
Ache
litav
ptus
agni
Scip

cana. Anglos promontorium suæ potestati subjecisse. Tum cursum direxit Teneriffam versus, sed certior factus, excubare ibidem classem Anglicam, institit viam, quam tenere solent naves ex India occidentali in Europam navigantes, hacque ratione impegit in classem Admiralis Varren.

B I O G R A P H I A.

Mustapha III. Imperator Turcarum, filius Achmetis III. lucem primam aspexit A. 1816. Ex quo Patri ejus A. 1730 imperium ademptum est, ille Regiæ Sultanorum inclusus detinebatur, usque dum A. 1757. 29. Novembris thronum conscenderet. Molliter educatus, & nulla politices arte imbutus publica negotia gerenda comisit suis Ministris. Præcipua ejus occupatio fuit, congregare piastos, quorum 60 milliones moriens reliquit. Auctoribus suis Ministris ob turbas polonicas bellum indixit Russiæ, verum A. 1774 e vivis ereptus est, quin potuerit infelicem conficere pacem, quam dein ejus frater Aboul Ahmid initio sui regiminis A. 1774 subscribere est coactus.

Polybius. Megalopoli in Græcia natus ante Christum natum A. 203. Ejus Pater Lycortas commendatur a constantia, qua Rempublicam Achejam propugnavit. Juvenis Polybius militavit in bello contra Persæum gesto. Captus a Romanis Romam fuit deductus. Hic agnita sunt ejus merita, habuitque amicos Scipionem, & Fabium. Cum Scipione abiit

ad oppugnandam Carthaginem novam, a cujus latere eum mors Scipionis avulsit. Rever- sus deinde est in suam patriam, ubi octoge- simum secundum ætatis annum attingit, multis amatus, & æstimatus. Historiam Universa- lem est complexus 40 tomis, quorum quin- que tantum primi ad nos pervenerunt. Ejus opera in arte potissimum militari excellunt. Hæc Follardius commentariis illustravit, e quibus palam fiunt bellicæ operationes, Roma- nis usitatæ, quæ abunde testantur, ad quan- tam tunc perfectionem ars bellandi fuerit perducta.

Politice Observationes :

Borussia omnem movet lapidem, ut bel- lum a Germania septentrionali avertatur. Pri- vatæ litteræ asseverant, Hardenbergium ut Legatum extraordinarium proxime Londinium discessurum.

Generalis Andreossy in præsens Monachii moratur. Fama fert ratione transitus gallica- rum copiarum per Istriam Astriacam in Dal- matiam initam esse conventionem inter utram- que Aulam, quæ sibi sincerissimas, amicissi- masque præstant contestationes.
